

45
Σὺν Διῶ Ἀρχιᾶτρον Τρομερῖσω

1644, 1 / 21

DE CAS
POSITIONUM MEDICARUM
PROBANTIUM
PODAGRAM
DIÆTÆ BENEFI-
CIO ET PRÆSERVARI
ET CURARI
POSSE

Loco Secularis & Ordinariæ Dispu-
tationis publicè exhibita

à
DANIELE BECKHERO
Med. Doct. & Prof. Publ.

Respondente
JOHANNE RAGERO
Soltzbacens. Palatino.

Add. 16. Xbris
In Acroaterio Magno Horis
matutinis.

REGIOMONTI,
Typis REUSNERIANIS, Anno 1644.





TER MAXIMO

J E H O V A E
T R I V N I

E T
O M N I P O T E N T I
D E O

P A T R I, F I L I O, S P I R I T U E
S A N C T O: C R E A T O R I, R E D E M -
T O R I, E T S A N C T I F I C A T O R I S U O
P O T E N T I S S I M O B E N I G N I S -
S I M O, C L E M E N T I S S I M O.

*Hasce Exercitiorum suorum publicorum in se-
cundo hocce Seculo Academ. primitias, in
memoriam terminati lubei Academici
& Aetatis suae sacras facit, & devotissimo
animo, filialiq. timore & pia gratitudine
offerit.*

P R A E S E S.

IMMANUEL!



Univerſali quodam remedio omnes expugnari poſſe morbos, nonnulli conſtanter aſſerunt: Verum, ut Rationes firmæ iis reclamant; ita ab Experientia planè deſtituuntur: Nec enim omnium affectuum una eademque eſt cauſa, una eademq; indoles. Num verò in Podagra Univerſale aliquod, non ad ſiſtendum dolores, ſed morbum ipſum radicitus tollendum, expectandum, meritò ambigitur. Ratio certè dicitur, non ejuſdem naturæ omnem eſſe Podagram: Licet enim in cauſa proxima conſpirare videatur, humores tamen, qui ei ſociantur, adeò variant, ut vel in uno eodemq; ſubjecto, ſi dolores tantum compeſcendi ſunt, id, quod jam profuit, poſtmodum noceat; quodq; eoſdem jam mitigavit, mox viciffim exaſperet. Nec hætenus favit Præconibus tanti Myſterii Antipodagrici ſolida Experientia, quâ probare poſſent, Unius medicamenti ſ. ex Auro. ſ. Argent. ſ. Marte. ſ. Mercurio aut aliunde parati auxilio Diætâ omni neglectâ Podagram ita extirpatam fuiſſe, ut ægri nullam poſtmodum recidivam paſſi fuerint. Ad Univerſalis tamen Antipodagrici rationem DIÆTA alludere videtur, cum plurima ſuadeant, hoc remedio malum Podagricum radicitus proſtigari poſſe: quibus & Experientia ſubſcribit. Hoc ipſum, Divinâ adſpirante gratiâ confirmare in præſentiarum animus eſt, quo in memoriam Jubilæi præteriti, & Academi- ci, & Ætatis meæ (quingueſimū n. annum Deus ipſe Jubilæum conſtituit) privata proximo ob proſtigatos dolores Podagricos excitentur Jubila. Quæ ut omnibus bonis, mihiq; precor: Ita ſit in nomine JESV.

A 2

POSI-



POSITIO PRIMA.

Qui Podagram proclamant incurabilem, nã illi DEum impotentia & immiseri- cordia, Naturam fucati amoris, & Me- dicos inscitia ignaviaq; arguunt.

Inexpugnabilem hunc Articulorum hostem plurimi cum Podagricis alie suspirant, nonnunquam & lachrymis ferè cruentis deplorant, quod ejusmodi cruciatus ad extremum usque halicum ferre cogantur, nec ab iisdem totaliter unquam libera- ri possint. Solatium miseris hisce adferre animus est, contra- rium probaturus, solã sc. Dieta & præservari & curari hoc ma- lum posse. Ne verò Andabatarum more in tenebris ignoran- tiæ oberremus, lucem vocabulis nonnullis conferre studebimus: quid sc. per Podagram, quid per ñ incurabile intelligendum. Podagra hic locorum quemvis nobis designat articulare mor- bum ex Tartaro acri resoluto subortum, in quo vel manus, vel pes vel alii Articuli doloribus urgentur: Non, quod vis voca- buli id ipsum exprimat, sed quod usus hodierno tempore tam apud Medicos, quam etiam vulgus id obtineat. Nec sine ratione; Pedes enim plerumq; primo & frequentius hoc morbo corripun- tur; & rarissimè alius Articulis affectis hi immunes visuntur. vel ea de causa, quod reliquis partibus longè imbecilliores cense- antur, partim, quod à fonte caloris longius distent, partim, quod ad excipiendos humores excrementicios non sint indispositi, & ob- situm desolvem, & ob patentes articulos, & quod multis incom- modis & injuriis externis exponantur: sicque plerumq; initium percipitur in pollice pedum, interdum in calce, nonnunquam in planta

planta, aliquando in exteriori parte. Tò incurabile intelligimus de eo, quod per se ita se habet: quod enim Podagra apud plures funditus curari & extirpari non possit ex accidenti contingit, solius, ut colligitur, decumbentis vicio. Potens enim est Iehovah ad debellandum hunc sanitatis hostem, qui vel verbo nuncve, Hydropicos, Leprosos, Paralyticos, imò cæcos & mortuos sanitati & vitæ reddidit; Nec immisericos censendus, cum instar Patris filiorum suorum verè misereatur, & infinitis documentis patrium suum nobis aperuerit affectum. Insulse quoque benignissima mater, Natura inculatur, quasi nulla Antipodagrica mortalibus agris concesserit remedia. Videmus totius sublu-
naris mundi armamentarium, è quo varia & salutaria depromi possunt arma, quibus Hosti huic obviam ire, eundemque expugnare licet. Est in Mineralibus, est in Vegetabilibus, est in Animalibus, unde cercissima Antidotus Antipodagrica expectanda, gratis ergo Natura noverca indigitatur, cum plenâ manu Podagricis subvenire allaboret. Medicus quoque verus omni vacat culpâ: hic enim ut morbi & causæ ejusdem naturam probe perspectam habet, ita nullis parcat laboribus, nullis vigiliis, nullis sumptibus quò miseriæ Podagricorum subvenire, & atrocissimum hocce malum idoneis mediis & remediis avertere valeat. Tua videtur esse, ô patiens, impatientia, supinaq; negligentia, tantum enim abest, ut salutaribus locum des monitis, & remedia à veris Medicis oblata excipias, ut potius his neglectis, & illis repudiatis, nihil non tentes, quo vel quotidie plus materiæ colligatur, & infausto huic parvi commodum alimentû subministretur; raro sollicitus quò fomes mali vel non generetur, vel in prima conceptione suffocetur. Quantum verò ex sesquipedalibus Medicastroorum promissis tibi saluti affulgeat cõtracti Articuli & urgentiores concatenatig dolores luculenter restantur. Te, te itaq; incusa, & lasciviè tuo animo infelicis curationis successum adscribe: At Dei potentiam & misericordiam venerare,

Natura munificentiam admirare, Mediciq; indefessum studium exosculare, sic Voti tui compos ab omni insulcu Podagrico immunis reddi poteris. Hæc ut illustrentur, & firmiter demonstrantur, unicum tantum in præsentiarum lubet in scenam producere medium ad præcavendum & curandum sufficiens, DIÆTAM sc. que quantum utilitatis, quantum commodi, quantum solatij Podagricis conferre possit, sequentibus probatum dabimus.

POSITIO SECUNDA.

DIÆTAM legitimè institutam & à Podagra præservare; & eandem expugnare posse solidis rationibus, & verissimâ Experimentiâ firmatur & confirmatur.

Tria sunt Medicinæ instrumenta, quibus omnes, tam Interni, quàm Externi corporis nostri impugnantur morbi, Pharmacia, Chirurgia, Diæta: Ut ut verò duo illa non parum auxilij Podagricis promittant, & in tempore à prudenti Medico administrata salutarem in profliganda Podagra spondeant effectum: Tertium tamen jam considerare, & quid in Præservatione & Curatione Podagræ Diæta valeat, quidq; ab ea expectandum sit, dispicere libet. Præmittimus tamen id, quod per Præservationem nil aliud intendamus, quam providere, ne affectus ille dolorificus quæquam mortalium unquam invadat: aut etiam jam eidem obnoxios mitius & rarius sollicitet: aut etiam si Naturam faventem habet, nunquam dolor ille recurrat, sicq; perfecta curatio expectanda. Præstat enim morbum non admittere, & omni studio eundem præcavere, quàm admissum expellere, cum non rarò dolores adeo sæviant, ut nec pes, nec manus, imò nec mens ipsa suum faciant officium. Id itaq; agendum, ut quid in Diæta situm sit, in genere demonstremus: specialem ejus doctrinam alij tempori consecrantes. Per Diætam hic non videtur

*videtur rationem tantū, quod vulgo fieri solet, sed omnes Sex Res
Non-Naturales Medicis dictas, intelligim⁹: Aerem sc. Cibum &
Potum, Somnum & Vigiliam, Motum & Quietem, Inanitionem
& Repletionem, Animiq; Pathemata.*

POSITIO TERTIA.

DIÆTA prohibet materiæ Podagricos dolō-
res inferentis generationem; quā negatā nec af-
fectus ipse locum inveniet.

Duo sunt in primis quæ Arthriticum morbum inferunt: Peccans Humor & Articulorum imbecillitas, illius tamen maximè prevalere sequentibus docet Galen. Comm. aph. 28. l. 6. Qui podagra, inquit, est laboraturus, necesse est pedes habeat imbecilliores, sicuti Cerebrum infirmius qui Epilepticus est futurus: neutrum tamen his affectibus omninò corripere est necessarium, si nihil peccaverint in vita. Quod autem partis imbecillitas satis esse nequeat ad morbi generationem, ex eo tempore potest aperte discere, quod Accessionis intercedit. Eo n. toto intermedio tempore omnino nihil interpolantur à morbo, quamvis ipsis semper adsit naturalis imbecillitas. Quod in Podagricis etiam est manifestum, in quibus humore quoque supervacaneo in pedes defluente, affectum hunc generari constat. Si ergo hic humor nunquam adfluat, neq; unquam talis futurus est morbus &c. Cum ergo ab humore quoque fœtus Podagricus dependeat, id unice medicandum, ut illius productio, quantum quidem fieri potest, impediatur. Disputant alij eundem qualis ille sit; alij enim Pituitam, alij Bilem, alij Melancholiam hic peccare autumant. Pareus l. 17. Chirurg. c. 2. causam Arthritidis venenatam, malignam, occultam & inexplicabilem statuit,

statuit, virusq̄ quoddam occultum & inexplicabile; Alii pro
simplici humore pugnant, alii pro mixto. Vt vero pro varie-
tate temperamentorum varij humores jam biliosus, jam pituito-
sus, jam alius se hic comitem jungat, semper tamen & immedia-
tè peccat falsum & acre quoddam serum Tartareum ex cibo po-
tuq̄ ingestis originem trahens: Hinc quò id ipsum vel per Na-
turam suam vel etiam ex admisto humore plus acridinis & ca-
loris participat, eò etiam atrociores parit dolores; mitiores v.
ubi benignius est ipsum serum & Pituitoso quodam frigidoque
humore dilutum, Tumorem potius circa Articulos producat,
quàm ferocientes dolores. Hujus humoris ortus cibo & Potui
unicè debetur. Nullus enim dari vel ferè excogitari potest, qui
non quid Tartari obtineat, & licet multæ præparationes, coctio-
nes, sequestrationes, excretiones intercedant, quò depuratis-
simum Naturæ adsimilari possit; non rarò tamen Tartarus o-
mnes illas operationes subterfugit & eludit, ita ut cum sanguine
remotisimis etiam partibus communicetur: Vinum Tartaro
suo prægnans id affirmabit, limpidissimum enim id assumitur,
in Visceribus serosior pars separata ad Renes demandatur, bal-
samicum verò & spirituosum quod in eo est, partibus nostris ap-
ponitur: nihilominus tamen, quantum materia Tartarea &
in Renibus subsistit, & cum Urina foras effunditur? quantum in
mesenterio colligitur, & ad digitorum apices non rarò demanda-
tur? Cum verò alius cibus & potus alio in Tartaro hocce præ-
valeat, & alii exiguam, alii verò magnā eorundem possideant
quantitatem, is sanè Cibus & Potus, qui nimium abundat Tar-
taro plus ad generationem materiae Podagricæ conferre poterit
in primis si frequentius usurpetur, si indebitè purum ab impuro
sequestretur, si deniq̄ nec sequestratum debite evacuetur. Qui-
cunq̄ ergo à Podagra se immunem præstare exoptat, is ex diæta
speciali Cibum & Potum omnem dextrè examine, & eū qui mul-
tum Tartari & acris materiae intra se fovet, fugiat; præferat
verò

verò eundem, qui depuratioꝝ, & defecatioꝝ eff, sic minus mate-
ria Podagrica generabitur, minusq; à doloribus illis pertime-
scendum.

POSITIO QUARTA.

Mediante Diætâ materia Podagrica Tartarea
in corpore collecta sensim evacuari, & ab Arti-
culis averti potest, ne diuturniore morâ & hinc
obortâ mole ad dolorum generationem ansam
præbeat.

*Etiâ in exactissima Viçtus ratione semper aliquid super-
flui, inprimis Tartarei in corpore nostro colligitur, partim ob
alimenta ipsa, partim ob nostram Naturam: Hæc enim licet
unicè moliatur Heterogeneorum expulsionem, omnia tamen ex-
pollere nequit; ita ut non parum in residuo maneat; illa vero
ut antea dictum, semper aliquid excrementitii deponunt, quod
sensim auctum non potest non semina suggerere morborum. Non
rarò a. in frigidioribus inprimis locis dantur Naturæ seigniores
in excretionibus; ita ut vix tertiâ, quartâ, quintâ, imò & septima
die semel superflua deponant; quantum quæso ibidem colligitur
materia? Plurimi verò reperiuntur qui rarissimè ita exquisi-
tè & curiosè vivere possunt, ut laudabilem instituunt viçtus rati-
onem, qui non sibi sed aliis vivere coguntur, qui in aulis Princi-
pum occupantur, qui in publicis officiis extra suos lares peregrinè
apud alios degunt, hi sanè ut plurimum exorbitant & in victu
delinquunt, ita multum materia vitiosæ ad Podagram non pa-
rum facientis colligunt. His tamen omnibus qui & quâ rati-
one obviam eundem Diætericæ regulæ monstrabunt; quæ inter
alia hoc volunt, ut INANITIONIS habeatur ratio. Hæc
autem exigat, ut partim studeamus Sobrietati, ne multum mate-
ria colligatur, partim vigilemus, quo quicquid vitiosum in cor-
pore*

B

pore

pore collectum vel sensim absumatur vel in tempore eliminetur.
Expedi id ipsum primum Inedia semel aut bis singulis septima-
nis jejunium imperans, sic enim crudiores in corpore Humores à
Naturali calore domantur, & quod noxium est à Natura ex-
pellitur: & optimo consilio excessus in Prandio admissus absti-
nentiâ coenae emendari potest. Huc faciunt annua, menstrua
& hebdomadariae evacuationes, eò respicientes, ut haecenus col-
lectum & ad Podagram faciens ejiciatur. Annuarum purga-
tionum salutarem effectum explicat Galen. l. de curand. rat.
per V. l. & in primis Comm. aph. 47. l. 6. dum inquit. Ho-
rum, qui integrâ adhuc valetudine, postea sunt ægro-
taturi nisi vacuentur Vere ineunte anticipanda est va-
cuatio, vel per Phlebotomiam, si Plethoricis morbis
corripiantur; vel per Purgationem, si morbis sint ab
humorum corruptione pendentibus, obnoxii: Ita e-
nim à morbis multos conservamus, & incolumes tue-
mur, qui multos jam annos antea quotannis ægrota-
bant. Quin Podagram quoq; & Arthritim adhuc in-
cipientem, nec dum in Articulis callo genito, per talem
vacuationem multos jam annos fieri prohibuimus. Pe-
trus Bayrus lib. 18. Practic. c. 2. testatur, se usu Electuarii
sui Caryocostini quo ter aut saepius in anno usus fuit, viginti sepe
annis à Podagricis doloribus, quibus antea fuerat tentatus, non
fuisse molestatum. Nec apud nos desunt Exempla eorum, qui
singulis mensibus ante Novilunium sibi suaq; Naturae conveni-
entes usurparunt pilatas, tanto cum commodo, ut alii per aliquot
annos jam antea Podagrici prorsus postmodum ab hoc affectu
immunes permanserint; alii verò ex familia Podagricorum
nati Podagram metuentes vel liberi ab eadem exciterint, vel et-
iam mitius, rariusq; eandem experti fuerint. Ad Inanitionem
quoq; faciunt Vomitus convenienter instituti, Venæsectio, & im-
primis Sudores; Multum sanè præstat Transpiratio insensilis,
cujus

cujus beneficio ex toto & singulis partibus multum excrementi-
tia materiae evacuetur; multò magis vetò Mador, Sudorq; de-
bito tempore provocatus; humores enim serosi, teste Pisone,
hoc modo felicissimè evacuantur & imminuuntur, sicque exinde
præcautionis omnium fluxionum Arthriticarum momentum omne
dependet. Novi quendam, qui ut in Juventute ita & Virilitate
Pedum curam negligentius haberet, & nocturno tempore nulla
integumenta adversus frigidioris aeris injuriam eis concederet,
hic postmodum magnum pedum lassitudinem & sæpius recurren-
tem Podagricam sensit molestiam, eò quod materia & insensibi-
liter & sensibiliter per spiracula Cutis evacuanda, remanserit, &
circà Articulos collecta sedem suam fixerit; sudore tamen post-
modum succedente, & dum melius consulebatur pedibus remisio-
res fuerunt & rariores Paroxysmi, majorq; eis exantlati Pe-
dum agilitas. Non sine causa itaq; Medici saniores Pedum fricti-
ones, matutinis vespertinisq; horis instituendas consuluerunt, quò
sic poris apertis materia tenuior ad exhalationem dissoneretur;
quin & matutinos sudores nonnunquam Antipodagricis medica-
mentis provocandos censuerunt, non ut virulentum aliquod hic
locum inveniens expugnaretur, sed potius serosior & salior ma-
teria in halitum resoluta per Cutim expurgaretur. Quisquis er-
gò à Podagricis insultribus molestari recusat, id agat, ut debito
tempore & modo idoneis remediis materiam vitiosam quacunq;
de causa in corpore collectam evacuet, & Naturam ab illo onere
liberam præstet.

POSITIO QUINTA.

DIÆTA est, quæ viscera ad generationem ma-
teria Podagricæ apprimè facientia in vigore suo
conservat, & ita firmat, ut Tartareas in Coctione
provenientes superfuitates & dextrè separent,
& debitè expellant,

Divortium est sententiarum apud Medicos, quanam sit
Pars Mandans in morbo Arthritico: i. e. quanam sint illa vi-
scera, quae ad collectionem materiae Podagricae ad Articulos de-
fluentis faciant. Veteres duplicem statuerunt hujus Fluxionis
Fontem; Cerebrum & Viscera Nutritioni dicata: Fernelius
hisce sese opponens, unicum principium Caput constituit, multis-
que id rationibus adstruere conatur, quam verò infirmæ illæ sine
ex Mercuriali tr. de Podagr. Gorræo lib. 1. definit. med.
Valetio Exercit. 63. in Prax. Holler. Trincavell. & aliis
constat: Sunt alii, qui Capite remoto Ventriculo, Hepati & Lieni
omnem causam tribuunt. Verius tamen cum Veterib. & Neote-
riticis nonnullis asseritur, & Cerebrum & Viscera Nutritioni in-
servientia materiam Podagricam suppeditare; Nam vel ipsi
ægoti referre poterunt, quantas interdum in Capite ante Paro-
xysmum sentiant molestias; quâ ratione per Cervicem, latera &
dorsum prægresso levi horrore & frigore humor quidam depluat;
hunc v. non in Externis partibus tantum subsistere, sed ad inter-
nas etiam penetrare ignorunt, qui admirandum Naturæ morum
in evacuanda materia observarunt: Sic enim in duobus adole-
scentulis scabies totius corporis unicâ nocte, ad Venas regressa
Hepati communicata fuit, ut in altero cruentum Urinæ proflu-
mum, in altero intensissimi Hepatis dolores cum febre continua
producti fuerint. Sic materia Tumoris genu occupantis per Vo-
mitum evacuata; & quæ sunt alia. Non dissimili ratione &
materia serosior in Capite collecta non tantum defluxione ad
Ventriculum Visceribus nutritioni dicatis negotium facescit &
cruditarum proventui ansam præbet, sed & Articulis ita insinu-
ari potest, ut inde dolores exurgant. Ex Dieta a. scientia illa
haurienda, quæ & Capiti & Visceribus prædictis prospiciendum,
ne ad collectionem idoneæ materiae symbolum suum conferant.
Ingluvies, Crapula, Varietas multorum ciborum & capiti &
Ventriculo molesta sunt; ut in illo destillationes, in hoc v. crudi-
tates

*zates emergant. Quoties Hepar calidioribus ciborum & po-
 zuum generibus incalescit, ita ut acrius serum producat, aut et-
 iam in suo munere deficiens, nec segregationem, nec expulsionem
 debite expediat? Idem esto iudicium de Liene & aliis partibus,
 quibus si ob errores admissos bellum inferatur, nae illae plurimum
 materiae suppeditabunt, quae tandem ad articulos demandabitur
 Quò non parum facit viscerum praedictorum nativa imbecillitas,
 quae etiam à levioribus in Dieta excessibus incrementum capere
 potest. Quod si v. Viscera vel per Naturam, vel per Artem bene
 constituta & robusta fuerint, leviolem, interdum & eximium
 vel in quantitate, vel in qualitate admissum excessum non refor-
 midant, nec ab eodem alterantur, sed purum ab impuro legitime
 separando, illud sibi reservant, hoc per convenientia loca excur-
 bant. Sistant se hic belluones, Vinosi, strenui in castris Bacchi
 milites, noctesq; diesq; Cadis adherentes, Cerevisiae vel vino inhi-
 antes, quibus parum adversi exinde contingit, ob insigne, quo pol-
 lent, viscerum robur. Metuens itaq; Podagrica tormenta id u-
 nite agat, ut Dieta favore viscera in vigore conseruet, vel etiam
 idoneo victu robur iisdem conciliet, quo suo debite fungantur of-
 ficio, nec ad materiae morbosa generationem quitqua conferant.*

POSITIO SEXTA.

Dieta docet, quò Articulorum robur conser-
 vandum, firmandum ac defendendum, ne vel
 Humores Tartareos defluentes excipiant, vel ex-
 ceptos justò diutius detineant.

*Exiguum sanè est, quod Articuli per se conferunt ad Po-
 dagrae generationem: sed à fluxione est, quicquid Podagri-
 cis molestiam parit: Quatuor a. in qualibet fluxione locum in-
 veniunt, & considerationem merentur exactam. 1. Humor ipse
 fluens. 2. Pars Mandans. 3. Recipiens. 4. Via per quas ille
 B 3 progre-*

progreſſur. *Humorem* conſtituimus *Seroſam*, *acre*, & *Tar-*
careum excrementum, aliis humoribus interdum admixtum.
Partem Mandantem, partim *Cerebrū*, partim *Viſcera* ad *Nu-*
tritionem pertinentia; *Via* per quas, ſunt *Venæ* & *Arteriae* in-
primis: *Recipientes* partes ſunt ipſi *Articuli* ſecundū membra-
noſas & ſenſu præditas partes; ut ſunt *ligamenta* membranosa,
tendines, *membranae* & alie circa *Articulos* conſpicuae. *Diſpu-*
tatur quidem à nonnullis, utrum *Cavitati* juncturarum ſeſe in-
ſinuet peccans materia, an v. tantum circa *Articulos* prædictas
partes occupet: *Verum* rectius ij ſentire videntur qui cū *Fer-*
nelio aſſerunt, *Maceriam* arthriticam nunquam aut admodum
raro in id *Cavum* aut ſpaciū penetrare, quod interoſium ex-
trema intervenit, ſed in *vincula* duntaxat, & eas *membranas*,
quæ extrinſecus *Oſium* extrema neclunt & ambiunt, atq; etiam
tendines eò directos; quod vel inde demonſtratur; quod mate-
ria nodosa & *Tophacea*, tam in *Pod.* quàm *Chiragra* extrus ap-
pareat, & aperta ruptave *Cute* ex articulis digitorum internis
partibus integris & illæſis eruatur. *Cum* v. *Articuli* vel *Hæ-*
reditariam quandam poſſideant infirmitatem, vel etiam *Acci-*
dentariam, *Dieta* utriq; ſuccurrere poterit, ita ut illa ſi non in
totum, in tantum tamen corrigatur, hæc v. omni ſtudio averta-
tur, neglectis & poſt poſitis ijs, quæ *Articulos* infirmare poſſunt,
qui alias ſuâ naturâ apti nati videntur ad recipiendum fluxum,
partim, ob imbecillioſam, quo gaudent, calorem; partim, ob con-
tinuum quem ſuſtinent, motum, unde non parum defatigantur;
partim, ob motum *Naturæ* ad *Venarum* & *Arteriarum* extre-
mitates, ſicq; ad *Articulos* ipſos, tanquam remotiores & exte-
riores partes peccantem humorem ablegant. *Huius* diſpoſitio-
ni ſi *Errores* accedant in *Dieta*, quibus major inducitur imbe-
cillitas, promptiſſimè humorem adventantem & excipient, & fo-
webunt. *Maximè* a. lædunt *Articulos* 1. *Frigus* intenſum; li-
cet enim *Actius* terr. 3. l. 4. c. 48. *Podagricum* quendam im-
miſiſ

missis in aquam frigidam pedibus, & aliquamdiu in ea detentis
convalescere scribat; rarius tamen id contingit, & non nisi in ro-
bustis naturis, viciosis humoribus non admodum repletis: alias
frigus nervosis, membranosisq; partibus maxime inimicum.
2. Excessus in Motu vel quiete. Hæc enim si nimia sit non
tantum ad Cruditatum proventum, sed & articularum imbecil-
litatem facit: ille v. articulos robore proprio & calore privat,
eosq; defatigando ad recipiendam hostilem materiam disponit.
Sunt qui existimant eos, qui plurimum stant, aut qui frequen-
tius equitant, nec suis ambulant pedibus, ut Neapolitani &c.
Podagrâ sæpius molestari, cum in pendulos pedes humores citius
ferantur: materia tamen nisi adfuerit, insufficiens erit hæc
ipsa causa 3. Vina quoq; Articulis inimica sunt, imprimis qui
acido Tartareo abundant; nam & materiam quandam cras-
siorem in Articulis, quemadmodum etiam in aliis corporis par-
tibus deponunt, & aciditate sua vim membranosis, nervosisq;
partibus inferunt: Hinc licet non omnes Vino Tartareo sese
replentes Podagram experiantur, plurimi tamen eorum tantam
in Articulis sentiunt infirmitatem, ut ob tremulas manus vix
poculum ori admoveere valeant. Juvenis quidam Coloniensis
triginta circiter annorum Regiomontum cum aliquot Vini Rhe-
nani Cadis hic vendendis à parentibus missus, non tam aliis di-
vendenda, quam sibi exhaurienda ea constituit, sicq; dies no-
ctesq; eadem ingurgitando tantum articularum imprimis manu-
um contraxit imbecillitatem, ut nec calamus adscribendum di-
gitis firmiter tenere, nec vitrum Ori commodè admoveere potue-
rit, ob manuum motum tremulum: qui tamen domum reversus,
& ad sobrietatem, continuaq; corporis exercitia laboresq; coa-
ctus, pristinum virium & membrorum recuperavit robur. 4. His
se associat Venus, quæ si excedit spiritus & calorem nativum dis-
sipat & absumit, articulosq; robore suo spoliat. Non immeri-
tò Podagra Veneris & Bacchi fetus salutatur, cum inter alias
causas

causas hæ primas sustinere possint. Ut verò secundum Diætæ specialis regulas ea fugienda, quæ Articulos infirmare possunt, ita iisdem præcipientibus ea in usum trabenda, quæ robur iisdem conciliant. Moderatum & debito tempore institutum id præstat corporis Exercitium, robur articulis addens, & calorem ad absorbenda vel propellenda excrementa excitans: Frictiones blanda pedum, quas inunctiones ex oleo Communi sale imprægnato, aut propriâ urinâ aut simili aliquo excipiunt huc faciunt; Hoc medicamentum ut ut simplex & domesticum, vetustissimum tamen est, optimum & decantatissimum ut apud Craton. in Consil Scholtz. 217. legimus. Taceo alia alibi exprimenda Articulorum robori inservientia. Quicumq; ergò affectum Podagricum à corpore suo exulari vult, ab eodem quoq; causæ articulis infirmantes exulent: robur v. iisdem omni diligentia promoveatur.

POSITIO SEPTIMA.

Diætæ cavet, ne materia Podagram producens, in corpore fortè delitescens moveatur, & ad Articulos promoveatur, ibidemq; subsistens agitetur & ferociat.

Quemadmodum interdum Venena per multos menses & annos incorporibus humanis subsistentia vires suas non exserunt, sed quiesca manent, tandem v. leviore de causa mota in actû deducuntur. Non aliter & materia ad Podagræ generationem apprimè faciens in Cerebro, in Vonis & arteriis &c. foveri potest, & dum extra Articulos quiescit, nihil molestiæ ibidem excitat: mota v. & ad Articulos ruens intensissimos dolores procreat. Notum est illius exemplum ex Alexandrino l. 15. salubr. c. 6. qui, quoties lubere, usu Cyprini piscis sibi in manibus excitavit dolores: Sunt & alij cibi plurimi acres materiam ad fermentationē disponentes, quam postmodum Natura ad extremas partes
aliàs

aliàs debiles amandat: Memini quendam Senem Podagricum octavâ post usum cibi capis parati horâ dolorem in pedibus percipisse: alius post Vini Rhevani usum idem experiebatur. Et quis ignorat ab animi affectibus subitaneas Podagricis contingere alterationes; ita ut benè valentes immodicâ abrepti Irâ illicò Paroxysmum experiantur. Terrore & metu plures lecto affixos & contractos sanitati restitutos legimus, at nemò Irâ, sed quo magis eidem habenas laxat, eò citius, frequentius graviusq; malo Podagrigo affligetur: Innumera exempla hic proferri possent, sed speciali tractatui ea reservanda erunt. Affectus ergo suos temperet, eaque, quæ ad motum materiam disponunt, cane pejus & angue fugiat, sic torturas Podagricas evitare poterit.

POSITIO OCTAVA.

Dietæ acceptum ferendum, quod Parentes Podagrici filios generent haut Podagricos, utut illorum Nepotes avitam experiantur non rarò fortunam.

Hereditarium esse malum Podagricum in proptatulo est Semen enim quod à toto corpore secundum Hippocratem deciduum est Tincturam debiliū Viscerum & articularum setum fert, unde filius similis facile communicari potest impressio: Non tamen illa ad producendum morbum sufficit, nã ex Dieta errores accedant, quibus materia conveniens generetur, & cumuletur: Is verò à filio non admisis, salvus à Podagra manebit; Non ita Nepos, qui Pancraticè vivens, Bascho Veneriq; litans sibi etiam in juventute Paroxysmum accelerat, & Articulos aliàs debiles & obmaterie affluxum, & aliis de causis, aptos ad suscipiendos humores, & perferendos dolores reddit: Sic ergo & hereditario jure dispositus ad Podagram, eandem mediante Dietâ abigere poterit.

C

POSI-

POSITIO NONA.

Erroribus in Diæta admissis adscribendum, quod Podagra hisce temporibus frequentior sit, quàm Patrum, Avorumque nostrorum memoria: quodque & Senes & Juvenes, & Viri & mulieres & Divites & Pauperes eandem experiantur.

Galen. Comm. aph. 28. l. 6. causas rationesque expositurus, cur Hippocratis tempore pauci laborarent podagra, suã verò ætate infinita sit Podagrã laborantium multitudo, Temperantiam & Moderationem summam ejus causam esse dicit; hujus verò auctas delicias, luxum, & voluptates, ita ut nihil supra addi posse videatur; Nonnulli, inquit nunquam se exercitantibus, sed malè coquentibus, seque inebriantibus, nulloque presumpso cibo fortia Vina potantibus, & Venere immoderatã utentibus: aliis verò etsi non in omnibus, in uno tamen, aut altero ex iis, que retulimus, delinquentibus. Et verò sæpè, cum peccatum magnum est, in uno eorum, que diximus, deliquisse satis esse potest: Accedit ad has causas, quamobrem plerique nunc Podagra infestantur, quod parentes & avos multi Podagricos habuere, in quib. se. semen erat vitiatum, atque idèò posteris majorem conciliavit partium imbecillitatem. Et subsequ. aph. de Mulierib. ait: Mulieres ante menstruorum defectum podagrã non laborare, olim erat verum, propter peccatorum, que superiore ætate mulieres admittebant parvitatem: nunc verò ob eorum magnitudinem nonnullã Podagrã afficiuntur, antequam eas defecerint menstrua, quamplurimis ipsarum parcius fluentibus, paucis verò etiam intra modum. Has ipsas causas si nostræ Regioni applicaverimus, facile rationes investigabimus, cur nos peregrinus & hospes, ut loquitur

Plinius

Plinius lib. 26. c. 10. ut Patrum avorumque memoriâ fuit Podagra, & nostra sit: inprimis verò si Regiomontum nostrum perpenderit. Ante quadraginta, triginta, imò Viginti annos rarior esse solet hic morbus: Senes, in decrepita etate eundem experiebantur, & eorum pauci: Mulier vix una & altera mensibus deficientibus à malo hoc torquebatur: Juvenes planè ab eodem immunes erant: nec mulieres ante quinquagesimum annum fluentibus adhuc mensuris quid à Podagrigo affectu pertimescebant: At jam & ante trigesimum etatis annum Juvenes, & ante mensium obstructionem totalem mulieres Podagrica evadunt: Fundamentū hujus ex Diætæ erroribus inprimis desumendum: Cibi enim & potus ad Podagricā materiā facientes copiosè administrantur, ut ex Speciali Diætâ patebit, materia collecta debito tempore non evacuetur: Ventriculus variorum & multorum ciborum ingestione, Hepat cruditatibus exinde provenientibus debilitantur; articuli adversus frigus æternum non probè muniti, simul & excessibus in Vini Venerisque usu debilitantur: nec desunt cause, quæ ad motum præsentium jam humorum facere possunt: Hereditariam quoque dispositionem à parentibus impressam his inter causas non postremam esse liquidò constat. Divitibus olim tantum sacrum fuisse hunc morbum, & experientia & apologus ille de Aranea & Podagra peregrinatione testabantur: nostrâ verò etate plures civium etiam mediocris conditionis malo Podagrigo opprimuntur, non tam cæli inclementiâ, maleficorumq; aspectuum operatione, quam ob excessus in Diætâ; quos qui averfantur, nil Podagra isdem molestiæ creat; sed ut articuli, ita & totum corpus motu confirmatur, & natura ipsa ad expellendum noxium calore suo excitata insurgit.

POSITIO DECIMA.

Tandem Experientia subscribit, quod plures

C 2

Podag-

Podagrici, etiam cum Nodis in Articulis benefici-
cio Diætæ à Podagra perfectè curati fuerint; Hac
verò neglecta solius medicamenti virtute, quen-
quam à Podagra liberatum esse vix quisquam de-
monstrabit.

Duo sunt, quibus veritas Medica nititur, Ratio sc. & Ex-
perientia, ut enim nec huic, nec illi seorsim & tantum fides adhi-
benda; ita infallibiliter ab utroque concludimus. Visis itaque
hactenus pro stabilienda nostra assertione Rationibus; Expe-
rientiam quoq; nonnullorum Medicorum experientissimorum in-
medium proferemus, quâ firmiter sententiæ nostræ robur accedat.
Quid Princeps Medicorum Divus noster Hippocrates suo secu-
lo expertus fecerit sequentia monstrant: sic n. ille 2. prædi-
ctor. l. 2. De his, inquit, qui Podagra tentantur ista nobis di-
cenda videntur. Qui in senectute tophos aut callos in Articulis
induratos habent, aut laboriosè vitam tolerant, cum alvo
sicca, ij sanè omnes, ut sentio, humanâ arte sanari nequeunt.
His certe succedentes Intestinorum difficultates optimè meden-
tur, quia & quæcunq; aliæ colliquationes infernæ, eos valdè ju-
vant. Juvenis v. cui nec dum circum articulos calli indurue-
runt, cuiq; viduus ratio curæ est, ad laborem est impiger, al-
vumq; habet vitæ instituto probè cedentem, is sanè prudentem
nactus Medicum, sanus evadet. Galen. ut patet ex posit. 4.
exegeti, plures præservavit evacuationibus debito tempore in-
stitutis. Idem l. de attenuante vid. rat. c. i. inquit. Vidi equi-
dem nec paucas Arthritides, quæ jam Articulorum ossa nuda-
rant, alias quidem hac viduus ratione in totum persanatas, alias
mitiores fuisse redditas. Et l. de curand. rat. per sang.
miss. cap. 7. Podagricos, inquit, & Arthriticos Veris
principio vacuabis, exhibito medicamento purgante,
ac sanguinis diminutione: Equidem complures ipse
sanavi, qui tribus quatuorve annis per intervalla pe-
dum

dum laborassent doloribus exundante humore veris
initio expurgato, aut sanguine diminuto. Rhasis. 12.
Continent. asserit, se plures vidisse patientes, qui Vini potum
relinquentes vel integrè à Podagra liberati sunt, vel & admini-
mum mitiorem eam experti sunt. Plinius l. 28. c. 9. referi plu-
rimos Asinini Lactis usu ab articulari morbo fuisse liberatos.
Celsus idem affirmat l. 4. c. 24. quod sc. quidam cum asinino
Lacte se aluissent in perpetuum Podagram evaserint. Et. c. 23.
profiteretur, quosdam cum toto anno à Vino & Venere sibi tempe-
rassent, securitatem totius vitæ à Podagra consecutos fuisse.
Ægineta l. 3. c. 78. scriptum reliquit, multos sibi cognitos,
qui à solo Vino penitus abstinerent, omnesq; opem senserint, qui-
busdam in principio mali perfectè liberatis, quibusdam postea &
rarò & neq; valde dolorosè exacerbationem percipientibus.
Rhodogin. l. 13. Antiquit. c. 25. testatur quosdam morbo
Articulari & Podagrâ vexatos præscriptione bonorum ad sim-
plicem mensam & pauperes cibos redactos convaluisse. Nec
dis simile quid cuidam Mercatori Hamburgensi primum divi-
ti & Podagricis, mox v. ad paupericum redactò & in totum sa-
nitati restituto accidisse, fide digni ex posuerunt. Trincavell.
l. 12. de curand. morb. c. 2. Novi, inquit, Medicum se-
nem Venetis, qui cum non parum infestaretur à Podagra ad se-
nium usq; saltem primum, ac per quinquennium ipse sibi Vinum
interdixisset, liber tandem ab huiuscemodi molestia ita evasit,
ut amplius ad ultimum usq; senium, immò ad mortem horum do-
lorum expertus fuerit. Apud Frambessar. l. 6. Canon. &
consult. distinct. 3. c. 4. legitur, quod Rusticus quidam
sexagenarius, naturâ Pituitosus jam per multos annos Arthri-
ride graviter divexatus fuerit, hic tamen solo usu allij singu-
lis matutinis per annum integram jejuno Stomacho catapotij
formâ devorati, tandem Articulari morbo defunctus sit: Sole-
mand. consul. l. 5. se meminisse ait Mercatoris Hispani re-
lictam viduam, honestissimam matronam, cum usum Vini,

quo tamen ut in more genti positum est, parcissimo & dilutissimo utebatur, post posuisset, ab eo tempore Podagra non fuisse tentatam, cum aliquot Paroxysmos antea esset perpessa: Idem constare dicit, quosdam decocto Chamædryos, quod Genuenses Carolo V. Cæsari mirum in modum commendarunt, postquam sexaginta dies bibissent, penitus liberatos & restitutos, cum antea non solum pedum, sed & manuum articulos isto morbo diu habuerint occupatos atq; impeditos. Crato apud Solenandr. l. 4. consil. 21. refert, quendam Vindemiarum tempore, vinaceis post expressionem calentibus adhuc vel musto calido calefactis manè per dies quindecim immerfisse, unde, qui planè incedere non poterat, restitutus fuit: Infinita talia in medium proferri possent exempla, quibus probatum fieret, solâ Diætâ plures & præservatos & curatos fuisse; Solo v. medicamentorum usu, neglectâ Diætâ Podagram perfectè & radicatus profligatam fuisse vix ac ne vix quidem Experientia hæctenus demonstrare potuit.

CONCLUSIO.


Quicumque ergo vel liber adhuc dum à Podagricis cruciatibus existens se præservare, aut jam iisdem expositus se liberare ab iisdem gestit, is Diætæ rationem habeat, & id agat, ne materia ad Podagram generandam faciens, in corpore cumuletur, sed cumulata debite evacuetur, ut viscera naturalia in debito vigore conserventur, articuli ipsi ab omni injuria defendantur & firmentur, omnisq; occasio ad motum materiæ faciens vitetur; Sic, Divinâ adspirante gratiâ voti sui compos, diutissimè salvus & in columis permanebit.

SOLI DEO GLORIA.

Ad Excellentiss. Dn. Præsidentem
collegam honorandum,

Qui negant expelli bene non admittitur hostis,
Fortiter obsessis qua venit ille viis,
Curari indignans, qui sit curanda Podagra
BECKHERUS doctâ nos ratione docet,
Fallitur austero quisquis moderamine victus
Hoc abigi vitium corpore posse negat.
Cura sit hoc vitare malum, juvenesq; viriq;
Et senium quotquot mite placensq; juvat.
Spes ægri jucunda, necis mora, gloria Coi,
BECKHERE, Aonidum portio, noster amor;
Qui melius recolas Musarum júbila secli,
Aut celebres ævi júbila festa tui?
Secli dimidium quoniam tibi computat ætas,
Idibus hic faustus quando December erit?
Non Genium quæris vino placare, sed oras,
Post cathedræ scandis pulpita, dis que-putas.
Perpetuò felix sis tam felicibus orsis,
Et secli integri tempora dinumeres!

M. SIMON DACHIUS
P. P. F. Ph. p. t. Dec.



Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3
004 398 270




f
Sb.

VD 17







opuzisw

1644, 1 / 21

**A S
DICARUM
UM
RAM
ENEFI-
ERVARI
RI**

mariae Dispu-
hibita

KHERO
f. Publ.

GERO
ino.

no Horis

I,
Anno 1644.